

tantum classium mentionem faciat, Romae enim *creatos esse* inquit X. *tribunos plebis, binos ex singulis classibus.* conferri meretur ad hunc locum HENR. GLAREANVS LORITVS in *annot. ad Livii L. III. p. 47.* (γ) quod ARNOBIVS quoque *cit. loc. L. II.* quinque tantum classes memoret: *Numquid enim, ait, quinque in classes habetis populum distributum, vestri olim ut habuerunt maiores.* (δ) quod testes hi testamentarii olim classici fuerint vocati, teste FESTO, voce, *Classici testes.* Sed singula haec latius persequi, et vtrum obiectiones an responsiones praeponderent, prolixius examinare, ab instituto nostro alienum videtur, potius a numero testium transeamus ad eorum habilitatem.

V.

Nimirum ad sollemnitates testamentarias vltius pertinet, quod non suppetant ad testamenta testes, qui alias ad testimonium dicendum habiles sunt, sed tales in specie personae requirantur, qui ad populum Romanum in comitiis repraesentandum sunt apti, vt et hoc modo testamenta nostra sustineant faciem veterum testamentorum, et coram iis tantum testibus conderentur, coram quibus et olim fieri poterant, et qui ius habebant comparendi in comitiis. Sicque ex his nunc facile responderi potest ad quaestionem: *Quinam sint testes habiles in testamentis?* non enim satisfacit hic responsio vulgaris, quod testes esse possint, qui non prohibentur, vid. HOPPII *examen Instit. ad Tit. de test. ordinand. Qu. 23.* aut cum quibus est testamenti factio, DN. de COCCII *iur. controu. ciuil. Tit. qui test. fac. poss. Qu. 13.* Idem enim explicat per idem, et obscurum per aequae obscurum. Nos potius secundum praemissa ad